

D * F * N

1604

ÖS
VA
0020

+1



DISPV TATIO BIBLICA XXVIL
De XXXVII. Capite Gene.

seos, ad privatam συζήτησιν
proposita

à

SALOMONE GESNERO, S. S.
THEOLOGIÆ DOCTORE ET PRO-
fessore publico, in Academia
VVitebergensi.

De qua

Die vlt: Octob. Anno 1599. Deo auxiliante reffondebit

IOANNES SAMBSTAGIVS
Byruthanus Montano-Fr.



VVITEBERGAE,
Imprimebatur Typis Meissnerianis,
M. D. XCIX.

Viris
Nobilissimis, Magnificis,
Doctissimis:

IVLIO à Seckendorph IOANNI IOACHIMO
in Sachsegrün, Praefecto à VVarnstadt, Byru-
in Schavenstein, thanæ & Creussenatis
&c diaceſeon Praefecto,
&c.

Illustrissimi Principis ac Domini, Dn.
GEORGII FRIDERICI, Marchio-
nis Brandenburgici Consiliarijs &c Me-
cénatibus ac Dominis suis de pátriâ op-
timè meritis & merentibus, per-
petuò suspiciendis:

Disputationem hanc Biblicam in de-
bitæ gratitudinis & observantia me-
moriā

devotè consecrat

JOANNES SAMBSTAGIVS
Respondens.

Caput 37. Thesis 1.

Aput hoc in sex particulas potest distribui. Prima conmemorat educationem Iosephi, de cuius historia deinceps erit agendum: altera de odio fratrum erga ipsum agit: tertia de Somniis: quarta de Insicis, quas fratres vitæ illius struxerunt: quinta de liberatione ex illis & venditione eius in Ægyptum: postrema de luctu & mætore Iacobi.

Partitio
Capit. 37.



Prima particula de educatione Iosephi.

2. Ad educationem & fortunam Iosephi quod attinet, sequentia de illa commemorantur. Principio quidem quod pater Iosephi, Iacobus, habitaverit in terra Chanaan, in qua pater eius Isaacus peregrinatus fuerat: habitavit autem in Hebron, ut infra versu 14. patebit.

3. Quod autem Iacobus in terra peregrinationum patris sui habitasse dicitur, non ita accipiendum est, quod meliori fortuna fuerit, quam pater: æquè enim, ut ille exul erat, nihil habens proprij in terra Chanaan, excepto agro Sichemitico, quem emerat Gen: 33. 19. Vnde tamen mox excedere filiorum intemperie coactus est Gen: 35. manet itaq. Iacobus in terra promissa non minus peregrinus, quam Abraham & Isaac. Ebr: 11. 13 9.

1. Quest.
quomodo Iacob habita-
re in terra Canaan di-
catur.

4. Habitare tamen in ea dicitur respectu fratri Esau, qui inde in montes Seir concesserat Gen: 36. 6. & quia in terra peregrinationum patris sui est, monetur ut cœlestem querat patriam, Ebre. 11. & 13. Phil. 3.

5. Quod Moses narrationem ita auspicatur: istæ sunt generationes Iacobi, cum nullam hic texat genealogiam, id qua de causa fiat, dubitatur. Et alij quidem vocem hebræam Tholedoth non tam de familiarum catalogo quam de rebus gestis exponi debere arbitrantur, atq; ita hæc verba, hæc sunt generationes Iacobi, explicant, quod habeant ἀγόραστον sequentium.

2. Quest.
textualis,
quomodo
vocetur ge-
nerationes
Iacobi.

6. Sed cum in ijs, quæ sequuntur, non tam Iacobi, quam Iosephi res gestæ percenseantur, concinnius videtur, ut propositionem modo commemorationem, non ἀγόραστον sequentis narrationis, sed συμπέρασμα superioris commemorationis de familia Iacobi

A 2 esse

esse statuamus. Supra enim Gen: 35. 22. dictum est: erant autem filii Iacobi duodecim, &c. familiæ autem Iacobi è regione posita fuit genealogia Esavî capite 36. Vnde iam conclusio subiicitur.

3. Quest. 7. Explicata loci circumstantia, temporis subiungitur, quod Textualis nimirum Ioseph, cum ea evenirent, quæ commemorabuntur, annos de ætate septendecim habuerit. Perperam itaq; legit vulgata versio Iosephi. annos sedecim. Licet anni sedecim de completis, & septendecim de xvii. currente expositi omnem diversitatem tollere Lyræ videantur.

8. Ætatis autem fit mentio, ut ἔθνος οἰκογένεια biblica inde colligatur, sicut infra patebit, venditum esse Iosephum ante mortem Isaaci, deinde ut Dei providam curam, qua singulorum annos, dies, horas observat, fratum item Iacobi immanem crudelitatem, patris & avi incredibilem dolorem, Iosephi vero in pietate profectum, patientiam & castitatem tanto maiorem, quo minor est ætas, æstimemus.

4. Quest. 9. Tertia particula narrationis de educatione Iosephi genus Didactica vitæ continet, quod nimirum Ioseph non delicate sit educatus, de pastorali sed cum fratribus pecudes paverit.

vita Iosephi 10. Et pertinet hoc ad commendationem σογῆς paternæ in Iacobō, qui etsi Iosephum impensè amavit, ocio tamen minimè, sed laboribus ab ineunte ætate assuefecit: iuxta præceptum, discant & nostri &c. Tit. 3. 14.

11. Quin etiam hinc elucet humilitas Iosephi, qui dotibus ingenij non intumescit, sed ita se gerit, ac si eas apud se planè nesciret. Scit enim se thesaurum sapientiæ & prudentiæ gestare in testaceo vase, 2. Cor: 4. 7.

12. In primis autem hoc spectat ad miraculī amplificationem, quod juvenem inter pecudes educatum tanta sapientia pollere audiemus. Hoc enim indicio est, sapientiam ipsius non fuisse librorum & magistrorum adminiculis comparatam: (licet patrem & avum de vera Dei agnitione concionantes diligenter audiverit:) sed divinitus & immediate infusam. Ioh. 6. 45. Iere. 31. 33. 2. Pet. 1. 21. Simile est Davidis exemplum, qui licet apud pecorū greges pedo pastorali, non armis assuetus esset, nihilominus Goliathen prosternit, ut soli Deo gloria cedat 2. Cor. 12.

13. Quar-

13. Quarto de convictu & sodalitio Iosephi istud addit Moses, 5. *Quæst.*
quod paverit greges cum fratribus suis, & puer fuerit cum filijs *Textualis*,
Billah & cum filijs Zilpah uxorum patris sui. *cur Ioseph*
14. Quod partim ex necessitate, partim ex virtute factum est. *cum filijs*
Rachelem enim matrem Iosephus amiserat Gen. 35. 19. Benjamin *ancillarum*
frater uterinus infans trium annorum nondum per ætatem pa- *versetur*.
scendis pecoribus idoneus erat. In Lea eiusq; liberis priscæ in-
ter Sorores invidiæ fomenta resedisse non est dubium. Quia
proinde cum illis esse commodè non poterat, cum quibus digni-
tate natalium esse merito debebat, illis sese adiungit, qui eum li-
benter ferebant.
15. Ac quod filijs Bilhæ assuescit non est mirum, *cum ea matri*,
Racheli, in educatione Iosephi operam ancillarem præsti-
terit.
16. Zilpæ autem filijs cohabitæ, eo quod idem tabernaculum
utriq; ancillæ deputatum fuit, ut supra cap. 31. 33. Ingressus est La-
ban in tentorium Leæh, & in tentorium Iacobi, & in tentorium
duarum ancillarum.
17. Sed præter necessitatem virtutis & humilitatis hoc est, quod
Ioseph licet ex uxore patri charissima natus, nobilitate tamen &
eminentia sui ortus minimè effertur, neq; ancillarum filios præ-
se contemnit: memor præceptorum tutæ societatis: Syr. 13.
Prov. 11. 2. Lyra autor est, illum suo convictu ancillarum liberos
contra fastum filiorum Liæ consolatum esse.
18. Quinto de virtutibus Iosephi hoc additur: Retulit Ioseph 6. *Quæst.*
infamiam illorum malam patri eorum. Infamia illorum hebraice *Text. de*
הַבְּתָמָם nuncupatur, quod græci reddiderunt φόγον, vituperium, *crimine fra-*
Onkelus accusationem, Hieronymus crimen. *trū Iosephi.*
19. Alij activè accipiunt, quasi ipsi vel patrem vel Iosephum
malè criminati essent: alij passivè, (quod vero similius,) quod ob
flagitia malè audierint apud bonos & famam totius domesticæ
Ecclesiæ passim sordere fecerint. Nam **חַבְתָּה** fumum denetare
& postea δυσφημίαν grammatici volunt.
20. Rupertus è pastoritia consuetudine coniectat, quasi filij
Bilhæ & Zilpæh inter pecora pecuariæ & belluinæ libidini So-
domiticæq; turpitudini assueverint. Sed cum Iacobus Rubenis
inceustum testamento damnet & privilegio primogeniturae mul-

A 3 etet,



Etet Gen. 49. 4: credibile non est, tantum illos scelus impune laturos fuisse. Proculdubio Rubenis incestū, filiorum Liæ fastum, reliquorum iurgia rapinas, fraudes &c. parenti aperuit.

¶. Quest. 21. Num Iosephus proditorem agit fratrum delicta patri de-practica, u-tegens? Nequaquam, siquidem proditio ex insidijs nascitur & trum dela- ad opprimendos innocentēs dirigitur, quo criminē Iudas, Achitio criminū eophel, Doēg & alijs laborarunt, & Phaliscorum ille ludimagi-sit proditio. ster, qui patriam prodere volens pueros suā fidei commissos ho-Livius lib. sti, Camillo, adduxit, de quo Poëta:

ductos q̄ Camillus

Claudianus Trans morum pueros obſeſſe reddidit ubi. Quod flagitium ob-trectatorum & ſuſurronum prohibetur Leuit. 19. Sir. 5.

in Ruff. 22. Scelera verò patri vel magistratui deferre, ut rei vel ad-moniti emendentur vel iusta pæna coērceantur, & publica ſcandal-a è medio removeantur ad veritatem & virtutes octavi præcepti pertinet: Sicut etiam Christus: iubet peccata impænitenti-um indicare Ecclesiæ Matth. 18.

Pij prodito-res.

23. Ita certè Jonathan insidias patris Davidi patefecit, 1. Sam. 19, & hoc nomine ob revelata Davidi Absalonis consilia Chu-fai, Zadok & Abiathar commendantur 2. Sam. 15. Et Rahab im-pios ſuos cives ob ſcelera exitio divinitus adiudicatos prodens Ios. 2. 4. fidelibus annumeratur Ebr. 11. 21, quemadmodum & Ia-el vxor Kenæi ſuum impium tyrrannum muliebri aſtutia oppreſſit, quam ob causam encomiaſtico carmine à Spiritu sancto ornatur Iud. 4. 18. & filius ſororis Pauli in hunc catalogum referendus eſt Act. 23. 16. & magistratum habere, qui crimina deferunt, ex uſu rei publicæ eſſe vel. Ethnicus Cicero intellexit.

Arimo nou patientium
guerelis di-ſcernenda
delatio iu-ſta à prodi-tione.

24. Quamobrem inter proditionem infidianorum & delatio-nem bonorum iuxta Auguſtini ſententiam libro 2 contra literas Petiliiani cap. 10. diſtinguendum eſt, qui ait: Non oportet quere-las eorum, qui patiuntur, audire, ſed animum eorum, qui faci-unt, quaerere.

Cantio in 25. Ac in deferendis fratrum & amicorum peccatis vitanda eſt præcipiantia & obſervandi gradus admonitionum à Christo præscripti Matth. 18. Produnt quippe non modo illi, ſecundum Auguſtinum, qui peccata fratrum dolo malo patefaciunt: Sed etiam iſ, qui fratre cuius peccati privatim conſcius eſt, non clam arguit,

arguit, sed palam coram hominibus: is enim fratri non corrector *deserendis*
sed proditor censendus est.

26. Interim tamen hæc, quæ de occultis dicuntur erratis non
ad notoria flagitia detorqueri debent. Tim. 5. 24. De publicis
enim scandalis, quibus alij offenduntur, dicit Paulus, peccantes
coram omnibus argue &c. i. Tim. 5. 20.

27. Postremo præmium uirtutum Iosephi commemoratur:
Porro Israël diligebat Ioseph præ cunctis filijs suis, quia filius
senectutis erat ei, fecitq; ei tunicam polymitam.

28. Iosephum filium senectutis Iacobi nominari censem *9. Quest.*
quidam Onkeli paraphrasin secuti propter senilem eius pru-
text: Cur
dentiam; quod à textu plánè alienum: et si senes aliquando pue-
Ioseph fili⁹
ri vocantur, Esa. 65. Ephes. 4. 1. Pet. 2. *10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34.*
senectutis.

29. Thargum Hierosolymitanum de similitudine ἐικόνων ima-
ginis interpretatur, quod Ioseph patris vultum repræsentaverit:
quod tam animo quam corpori accommodari potest.

30. Sed planius est, si ~~υπὲρ τὸ γέντον~~ exponamus de tempore. Etsi
enim Ioseph non postremo seq; ante Beniaminum annis tredecim
natus est; quia tamen è Rachele tum demum suscepimus, cum Ia-
cob ex illa prolem desperasset, ideo non immerito filius senectu-
tis appellatur, tam patris, quam matris respectu.

31. Nec inconveniens illa fuerit ratio, si Iosephum sua pieta-
te & reliquis virtutibus baculum senectutis Iacobo fuisse, eamq;
ob causam filium senectæ nuncupatum esse dicamus.

32. Et notanda est in patriarcha assidua mortis meditatio.
Cum enim annos natus 91, dimidiumq; vitæ paululum, 18. vide-
licet annis, supergressus esset, (vixit enim annos 147. Gen. 47.
28,) iam tum se inter senes fuisse perhibet: memor videlicet il-
lius, numerare dies nostros doce nos Psal. 90.

33. Ad exprimendum suum amorem Iacobus filio peculiarem *10. Quest.*
vestem conficit, quam hebræus textus appellat Chetonet passim: *textualis*
græci transtularunt χιτῶνα πομφά, cum quibus Thargum Hie-
rosolymitanum; quod tunicam appellat Mehuiair, id est, *versi- sepi;*
colorē, & nostra germanica versio consentit.

34. Hieronymus autem τολύμιτον à varietate licet intertexti hun-
cupat, quod vel ad colorē vel ad materiam referri potest. Aliud

Thar-

Thargum dicit fuisse vestem carbasinam seu purpuream, qualis fuit Thamaræ 2. Sam. 13. 18. D. Lutherus pro candida habet, & similem fuisse illam Samuelis Meghil Katon 1. Sam. 2. & Christi tunicam à matre textam & Meghil sacerdotale Exod. 28. Aquila talarem, Symmachus manicatam reddidit. Nam vox פִּתְּהָ vel de partium vel de colorum varietate exponi potest.

35. Quicquid sit, apparet inde vestium usum non modo ad necessitatem, sed etiam ad decentem ornatum, & ad exprimendum amorem erga liberos & coniuges divinæ voluntati minimè adversari, modo luxus vitetur. 1. Tim. 2. 9. 1. Petr. 3. 3.

36. Iam in altera capitinis portione immane odium fratrum adversus Iosephum describitur, & principalis quidem eius causa fuit livor & invidia, eaque duabus rebus irritata, amore patris & favore Dei, quod tumidi & inflati illorum animi ægerrimè tulerunt fratrem minorem natu tenerius & ardenter à parte diligi, vers. 4.

37. Et cùm ex plenitudine cordis os loquatur, Matth. 12. 34. arborq; mala non possit bonos fructus edere Matth. 7. idcirco non possunt odio flagrantes pacificè seu benevolè fratrem allogui. Homicidæ proinde sunt animo & lingua, Matth. 5. 22. 1. Iohann. 3. 15. Ier. 18. 18.

38. Atq; hinc apparet, quām frivola sit Iudeorum de sua gente gloriatio, cùm patriarchæ illorum tot peccatis obnoxij fuerint; concidit etiam liberi arbitrii papistica & pharisaica assertio, & integritatis renatorum vanissima iactantia.

39. Altera res, quæ crudele odium in fratribus extimulabat, erat favor Dei. Optima enim sunt cibus invidiae. Ita fratres invident Iosepho, quod somnia habet δρόσεμα, quæ imperium ipsi in fratres pollicebantur: atque ita eodem spiritu aguntur, quo Saul adversus Davidem 1. Sam. 17. 18. 19. 20, & Satrapæ Persici

adversus Danielē, Dan. 6.

40. Tertium capitinis membrum habet commemorationem duriorum Somniotum Iosephi, quæ eiusdem sunt sententiae, diversæ tamen materiae. Nam alterum est terrestre, alterum cœlestē.

41. Terrestre à manipulis frugum vers. 6. 7, quod fratres satis sagaci conjectura interpretantur de dominio Iosephi v. s. cœlestē vero v. 9. 10. & cum intelligent principatum ipsi divinitus ostendit.

11. Quest.
Theor. de
peccatis san
ctorum &
renatorum.

ostendi adversus stimulum profectò calcitrant. Deoq; repugnare,
quod Somnijs à Deo immisis ad indignationem concitantur.
42. Nisi, quæ illorum fuit impietas, phanatica putaverunt &
commentitia fratris visa. Quid autem de Somnijs sentiendum
sit supra cap. 28. expositum est, cui meritò additur, quod hoc lo-
co Lutherus & alibi alijs commemorant, de fatidicis Somnijs,
quod nimirum hac quoque postrema mundi ætate Deus quan-
doq; futura hominibus vel per somnia, vel alijs modis revelet.
Sicut Lutheranam Ecclesiarum reformationem longè ante prædi-
xerunt, Iohannes Huss, Nicolaus Cusanus Cardin. Iohannes
Lichtenbergius, Ioachim Abbas, Hildegardis, Iohannes Hilten
& alijs.

43. Hic istud solummodo discutiendum est: num Iosephus
peccaverit somnia referens & ita quidem absq; ulla circuitione 12. Quest.
exponens, sicut oblata fuerant; prudentiæ enim fuisse videri præct. De
posset, si eventum expectasset, aut dissimulatis circumstantijs in simplicitate
genere quædam retulisset; & accedit, quod à patre obiurgatur, Iosepho.
quod fieri non deberet, si Iosephus hac in re nihil delinqueret.

44. Plana verò est responsio, non vituperandum esse sed lau-
dandum Iuvenis candorem; Visiones enim & Somnia divinitus
exhibita nec occultanda, nec truncatè referenda, & pro arbitrio
exponenda sunt: sicut gravissima comminatio, quæ apocaly-
pticis visionibus subiungitur Apoc: 22. testatur.

45. Ad increpationem Iacobi quod attinet, humani quiddam
senex patitur nimia erga fastuosos & contumaces filios lenitate.

46. Neq; enim locum habet, quod quis dicere posset, ipsum
non animadvertisse visionem istam à Deo esse, cum vers. ii. sub-
iungatur: (*pater autem eius observabat rem istam*) neq; fictioni hic Io-
cuss est, quasi simulatè coram fratribus eum repræhendisset, cum
nullius simulationis fiat mentio.

47. Sed quemadmodum Christi parentes filium suum, qui erat
~~θεαμάρτητος~~, ex imprudentia obiurgant, cum Hierosolymis re-
mansisset Luc. 2. Ita ignorat hic Iacob filium suum divinitus ad
tantos honores evectum iri, quæ quidem ignorantia ex ipsius
luctu liquido apparet.

48. Sed pulchra est imago, quod pater familias Soli, mater Lu-
næ, filij Stellis comparantur, de cuius allegoria alijs differuerunt.

B

49. Istud

13. Quest.
præct. de obo-
iurgatione
Iosephi.

14. Quest.
theoretica
de Sole &
luna ac im-
pletione so-
mij.

- { 49. Istud inquirendum est, quomodo oraculum, quo ad matrem, impletum fuerit, cum ea iam esset mortua Gen. 35. 18.
50. Nam illorum ratio, qui putant Iosephum, superstite adhuc Rachele, venditum fuisse, non subsistit, cum Jacob Hebrone apud Isaacum habitans inde Iosephum ad fratres miserit, ut in hoc capite sequitur: Rachel autem in itinere Hebronem versus mortua est, Gen. 35: & præterea cum vnde此 stellæ, Iosepho per Somnium oblatæ, totidem eius fratres denotent, manifestum ex eo est, Benjaminum, cuius partu mater expiravit, jam natum fuisse.
51. Neque audiendi sunt, qui putant, Iacobum ἀπὸ τοῦ ἀδυάτου in reliquorum filiorum gratiam Somnium Iosephi vanitatis arguere, quasi diceret, quomodo hæc visio sibi constare potest, cum mater non amplius sit in vivis: ex eo enim, quod Iacobus Somnium apud animum reposuit, certum est, quod illi minime visum fuerit vanum.
52. Maximè proinde consentaneum est Iacobum nomine matris intelligere Bilham, ut Hebræi censem, quam Iosephus pro matre habuerit, ut antea significatum vers. 2. & duas uxores, Bilham & Zilpam cum Iacobo in Ægyptum descendisse è cap. 46. 5. patet.
53. Nec improbanda D. Lutheri sententia, qui σωκρότηνε per Solem, Lunam & Stellas totam familiam absq; personarum discretione intelligi existimat. Sed Augustini allegorica interpretatio, qua ait, hoc non in Iosepho sed in Christo demum impletum esse, nihil ad rem facit.
54. Quæritur porrò, an etiam Iacobus unquam Iosephum adoratione, politica nimirum, (de ea enim hic sermo est,) venerando Iacob adoratus sit. Factum autem id est partim mediately per filios, cum illis internucijs frumentum à Iosepho supplex peteret, partim immediate, cum Iacobus in Ægyptum veniens illum amplexeretur præq; gaudio lacrymas funderet Gen. 46. 29, & postea proculdubio honorem illi ut magistratui exhibuit, quin etiam cum sepulturæ officium ab eo reverenter peteret, non pro patriâ potestate iniungeret Gen. 47. 29, nec non cum Ioseph illum decumbentem inviseret Gen. 48. 2.
55. Quod autem Ebr. 11. 21. dicitur, & Iacob adoravit ad summitem seu fastigium virgæ eius, in eo σφέλμα græce interpretatione.

erationis commissum esse, nullum est dubium. Nam hebreus
textus legit חַנְפָּד quod lectum significat, & Hieronymus ac
Onkelus ita exponunt Gen 47.31 adoravit Israël Dominum con-
versus ad lectuli caput.

56. LXX. verò interpretes aliter legerunt חַנְפָּד quod hac
forma baculum, Virgam, sceptrum denotat. Licet nihil sit peri-
culi sive illa sive hæc lectio observetur: ex neutra n. conficitur,
quod Iacobus vel Iosephum vel Sceptrum eius religiosæ adorati-
onis cultu affecerit.

57. Gregorius lib. 6. moralium cap. 12. interrogat, num fratres 16. Quest.
Iosephi aliqua occulta vi adacti sint ad vendendum Iosephum, theor. num
ut nimirum Somnio satisficeret? Sed responsio è capite Gen. 50. necesse fue-
20. & 45. 5. parata est, quod inter voluntatem & actionem Dei, rit vendi
interq; fratrum machinationem ingens discrimen sit: ac licet Io- 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 17. Quest.
sephus non alijs medijs, quam venditione ad fastigium istud
promissi per somnum honoris concenderit: poterat tamen De-
us multis alijs vijs huc illum provochere, etiamsi fratres plagium
non commisissent. Malo proinde illorum instituto Dominus
propter Iosephū benè usus est, sicut timentibus Dominum omnia
cedunt in bonum Rom. 8. 28. 1. Cor. 10. 13.

Quarta pars.

58. Quartum membrum capitinis commemorat profectionem Iosephi ad fratres & structas ipsius vitæ infidias vers. 12. 13. 14. 15.

16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 17. Quest.
59. In qua narratione cætera plana sunt, præter ista s, quas in- theor. De
interpretes movent, quæstiones. Principio enim interrogant, an profectione
non audacia sit & temeritas tam in filio quam in patre, cum sci- Iosephi ad
rent fratres Iosephuni odisse, quod nihilominus adolescens in fratres.
locum desertum & procul à patria dissitum ad illos mittitur: Re-
ctius sanè Iacobus fecit, qui Esavi furori in Mesopotamiam usq;
cessit.

60. Si dicas, Deum has improvidæ ignorantiae nebulas illis
inieciisse, ut inscijs sanguinarijs fratribus materiā & ansam sceleris
suppeditarent, blasphemiam in Deum committis, similem illi, qua
Calvinus Dei bonitatem perstringit in ca. 3. Gen. vbi, quin etiam
quod Deus animal, inquit, Satanæ commodavit, quod alioquin
nunquam paruisse, quid hoc aliud fuit, quam hostem in hominis
exitium armare? quæ horrenda vox suo loco refutata est.

B 2 61. Quare

61. Quare hoc etiam ignorantiae lapsibus adscribendum vide-
tur, quod uterq; nimium fudit hostib; Et charitas omnia cre-
dendo & optimè sperando sàpe fallitur i. Cor : 13.

18. Quest. 62. Secundò istud etiam quæstionem parit, cur Deus vel Iaco-
theor: cur bo vel Iosepho periculum non patefecerit, eosq;, qui ipsi erant
infideliæ fra- charissimi, monuerit? Hinc enim ventosa ingenia ratiocinari
trum non possent, Deum quodammodo autorem fuisse eius sceleris, quod
fuit divini- plagiarij isti perpetravit, cum monendo impedire potuisset.
tus patefa-

63. Verùm usitata valet solutio, quòd Deus nemini quicquam
debeat, ut scriptum est Rom : 11. Quis prior dedit ei, ut redda-
tur illi? Iob. 41. 2. Et quia Dominus utriusq; fidem & patien-
tiam sub examen vocare voluit, ideo in hac illos ignorantia ver-
sari passus est.

19. Quest. 64. Loci porrò distantia non temerè à Mose annotatur, cum
theor: de ait, & misit eum ex valle Hebron & venit in Sichem. Sichem
distantia Si- enim, ut chorographi perhibent, xv. abest ab Hebrone millia-
sbe ab He- ribus.

bronc. 65. Ex eo proinde flagrantem patris sogybw erga filios, licet im-
probos, & syncerum Iosephi erga crueles fratres amorem æsti-
mare proclive est.

66. Non inculcabimus, quod de errore Iosephi allegoricè
tradit Augustinus, quod Iosephus errans & in deserto hinc inde
quærens fratres suos Christum repræsentaverit, qui in deserto
mundi quæsivit oves aberrantes Esa. 53. Luc. 15. Augustin. Serm.
de tempore 81. & quod idem in epistolis ait, errorem Iosephi
fuisse in via pedum non in via morum.

20. Quest. 67. Quod erranti Iosepho vir occurrit, qui ipsum benevolè
text: quis interrogat, & ubi fratres pascant edocet, de eo, quis fuerit, per-
fuerit via contantur. Et hebrei quidem, ut è Thargumica paraphrafi Iona-
monstrator. thanis apparet, censem Gabrielem archangelum in forma viri Iu-
veni obviam venisse, quod in medio relinquimus. Sive homo
fuerit sive angelus, non fortuitò sed singulari Dei providentia
factum est.

21. Quest. 68. Posset alius Iosephum temeritatis arguere, quod cum fra-
tur Ioseph
non sit do- tres in Sichemitico agro non invenisset, longius eos consecu-
mum rever-
sus, cù fra-
tres non re-
perisset.

date

69. Sed hinc apparet Iosephum libenter & ex animo patri's man-
dato morem gesisse: ideoq; non tam verbis quam sententiae
inhæret, quæ erat, ut de fratum fortuna patrem faceret certio-
rem, id ut assequatur nulli parcit labori & molestiæ.

22. Quest.

70. Quin etiam de autore perpetrandæ cædis sunt solliciti, *Quis autor*
quisnam præ reliquis istius consilij sanguinolenti inventor? Et interficien-
communis sententia est, Simeonem & Levi id cæteris fratribus di Iosephi
suggessisse: idq; duabus rationibus colligunt, primò quod Ruben
ben maximus natu cædem dissuasit Gen. 37. 21. & 42. 22. proxi-
mus autē ab illo fuit Simeon: deinde quod Iosephus hunc ipsum
postea in vinculis detinet Gen. 42. 22.

71. Vnde quoq; proverbium apud Iudæos, non esse mendicum,
nisi de Simeonis tribu, qua pœna facinus Simeonis affectam fuis-
se censem, ut omnium esset familiarum pauperrima.

72. Ac cum Iudas Ischariotes, qui Christum prodidit Ioh. 6. 71.
& 13. 2, & 12. 4. vocetur Simeonis filius censem illum ex hac stirpe
ortū: certè mores cum Simeone patriarcha apprimè conveniunt.

73. Stupenda vero est cæcitas, quod non verentur θεομάχειν
sibiq; persuadent, se Iosepho interempto illud intercepturos.
quod Somnia divinitus immissa illi promittebant, cum aiunt:
ecce magister ille Somniorum, & iterum: Venite & occidemus illum &c. & si
debimus, quid sint Somnia eius.

74. Scire verò debebant, non esse consilium adversus Domi-
num Prov. 21. & consilia Dei stare nec irrita fieri posse Esa. 46.

75. Neque minor stultitia, quod de celanda coram hominibus
cæde sunt solliciti, nihil Deum omnium aranorum consciente me-
tuentes. Psal. 94.

Quinta capitinis particula.

76. Quintum membrum agit de liberatione Iosephi, cuius sua. 23. Quest.
for est Ruben v. 21. 22. argumenta, quæ fratum furori opposuit, *Quo conse-*
à Iosepho annotata sunt lib. 2. Antiquit: cap. 3. inter quæ istud
præcipuum, ut Deum vererentur spectatorem ac testem consilij
contra fratrem initii, cum nihil ipsius providentiam latere possit,
sive in solitudine admittatur, sive in civitate. Vbicunq; enim sint
homines, existimandum ibi Deum quoque adesse &c.

lio Ruben
laboret de
liberando
Iosepho.

77. Quam ob causam Rubenus reliquis fuerit mitior meritò
consideratur: & non alienum à vero videtur, illum istis duabus

inciatum fuisse, primò quidem quod sibi tanquam primogenito rationem de amissione Iuvene reddendā fore existimaverit, deinde quod patrem servato charissimo filio placare voluerit, quem incesto concubitu vehementer offenderat.

78. Et sane divina hic potissimum conspicitur providentia, quod, cùm filij Leæh Iosepho infensores essent, quam cæteri, ex illis tamen Ruben & Iudas divinitus impelluntur, ut furori parricidarum sese opponant. Hinc est Salomonis sententia Prov. 16. 7. cum viæ alicuius Domino placent, etiam inimicos eius illi pacatos reddit.

84. *Quest.* 79. Mandatum de non fundendo hūano sanguine, quod Ruben de non fundendo hu- inculcat fratribus, et si omnibus natura notum est, tamen per fidem dīadoχlw & traditionem à Noah hucusq; propagatum fuisse manu- sanguine. apparet: Sicarij enim isti omnem humanitatis sensum exuerant, ut dubium non sit illos nihili facturos fuisse imò derisuros rationem Rubeni, si à sola conscientia ducta fuisse, & non potius di- vinam comminationem expressam Gen. 9. 6. habuisset adiunctā.

80. Proinde non prorsus vituperanda quoque Rubeni fictio, qua fratribus persuadet, ipsos à parricidijs scelere fore immunes, modo manus ab effusione sanguinis cohiberent, licet in foveam coniectum fame enecarent: quandoquidem è fovea extractum patri restituere cogitabat, Vers: 22. Per se tamen hæc sententia est impia & scelerosa.

81. Quasi verò non satius esset statim occidi, quam lenta fame confici, quo mortis genere nullum est crudelius & miseri- us. Deut: 28. Lev: 26.

82. Sed simulatio Rubenis, qui hoc pacto Iosephum liberare & patri reddere cogitat laudem, suo modo meretur, propter finem honestum, quem spectabat, & propter præsentem necessitatem.

85. *Quest.* 82. Reliqui Rubeno obtemperant, ut seniori, & fratrem vesti- de cisterna. bus spoliatum in cisternam veterem coniiciunt. Iosephus has partes Rubeno datas asserit, qui adolescentem fune ligatum sensim in puteum demiserit. Sed hoc textui contrarium videtur: Moses enim cùm impetu arreptum & in foveam præcipitatum fuisse commemorat.

84. Etsi autem puteus aqua carebat, verisimile tamen est, illum serpentibus, ranis, bufonibus & similibus venenatis bestijs sca- tuisse.

tuisse. Vnde meritò miraculis accensetur, quod Iosephus in columnis evadit, sicut Ieremias Ier. 38, estq; typus Christi Zach. 9. cap.

85. Perpetrato tam horrendo scelere consederunt ut convivarentur vers. 25, in quo natura peccati, & conscientiae apparet, quæ ad tempus quiescunt secura, postea verò evigilant, Gen. 4, sicut infra patebit Gen. 42. 21.

86. Imago etiam in illis depicta est horribilis ἀσογίας & σκληροκαρδίας erga fratrem, quod nullis eius lacrymis & eiulationibus flecti se patiuntur, ut ipsi infra cap. 42. 21. immanitatem suam execrantur.

87. Deniq; typum exhibent Epicureorum & hypocritarum, qui interim helluantur & hilari sunt animo, dum Ecclesia misérè affligitur, sicut Amos huc alludit cum ait, epicureos non curare eiulatum & calamitatem Iosephi, cap. 5.

Sexta capitinis pars.

88. Postrema capitinis particula venditionem Iosephi describit. 26. Quæst.
Dum enim illi epulantur, ecce divina sit providentia, ut mercantes accedant generis Ismaëlitici, qui aromata omnis generis, quæ speciebus, Nechoth vocantur 2. Reg. 20. 13. & resinam, quæ est humor predeq; merciosus ex arboribus effluens Jer. 8. ver. pen. & 51. 8. & deniq; Lot tura, seu Lotum, ut legit Onkelus, Hieronymo, & græcis est stacte: camelis si is imposita ex Syria in Ægyptum deportabant, eo itinere, quod è monte Gilead in Ægyptum dicit. vers. 25. Mercaturæ enim & vicinarum gentium commercia semper usitata fuerunt.

89. His conspectis Iudas suadet, ut adolescens illis vendatur, & utitur argumentis gravissimis ab utili & inutili, à vindicta Dei, à fraterni sanguinis necessitudine ver. 26. 27.

90. Vana verò est Iudæ & reliquorum persuasio, quod estimant, se parricidij seu fraticidij crimen effugere, si illum vendant, quasi non ipsâ morte pijs sit gravius ab Ecclesiæ gremio astrahi & tyrannorum ac hostium veri cultus furori obijci, ut de alijs incommodis, quæ in venditione hominis liberi inerant, nihil dicam. Apparet hoc in Davide 1. Sam. 26. 20.

91. Et

91. Et procul dubio, vel Midianitæ luci adeò fuerunt cupiditati, ut de Iuvene nihil interrogarent, aut immaniter barbari, ut crudelium fratrum facinori gratificari non dubitarent, vel isti, quod vero similius, multa mendacissime commenti sunt, quibus facinus coram mercatoribus à suspicione plagi & criminis purgare sunt conati: & credibile est, eos Iosephum minis eò adegisse, ut, se illorum fratrem esse, iam quidem fateri non auderet, infra tamen palam fatetur cap. 40. 15.

27. Quest. 92. Cum autem mercatores vocentur Ismaëlitæ vers. 25. 27. & De Imaëli- mox Midianitæ vers. 28, quæritur, num sint idem. Et Ismaelitas & Mi- rum gentem ab Ismaële filio Abrahami ex Agare, Midianitas au- di. mitis. tem à Midian, qui itidem fuit Abrahami è Cetura filius Gen. 25. 2. ortos atq; ita distinctos populos esse manifestum est.

93. Lyranus sanè existimat Iosephum ter esse venditum, quod nimirum Ismaëlitæ illum à fratribus mercati Midianitis, & isti Potiphari in Ægypto vendiderint.

94. Sed narratio Mosis clare indicat Ismaelitas & Midianitas itineris & commercij socios fuisse & communi precio viginti argenteorum, quos decem vncialibus aestimant Iosephum emisse. Hinc enim est quod utriq; coniunguntur.

95. Et aestimare hinc possumus, quod filii huius seculi, præ populo Dei in hoc mundo semper floreat & opibus abundant: Sicut filii concubinarum Abrahami, Ismaëlitæ & Midianitæ mercatores & aromatarii sunt, cum Isaaci & Iacobi stirps interim in foribus pastoritiae vitae delitescat.

96. Percommode quoque accidit, ut Iosephus à Pharmacopœiis & aromatariis in Ægyptum deportaretur. Siquidem non modo fragrantissimum pietatis & veræ religionis aroma, sed etiam salutaris medicina superstitione genti futurus erat, Psal. 105.

28. Quest. 97. Dum hæc agerent fratres, Rubenum abfuisse Moses porrò ubi fuerit significat & reversum ægerrimè tulisse, quod Iuvenem non reperiit vers. 29. 30. Quærunt igitur, ubi Ruben fuerit?

Ruben cum 98. Et alijs placet illum eiulatus Iosephi ferre non potuisse, alijs, eum quæsitus melioribus pascuis fratres à cisterna abstrahere conatum esse, alij volunt illum ideo se subduxisse, ut per ambages ad puteum accederet & puerum extraheret: Iosephus ait, eum noctu ad foveam venisse. Quicquid sit, certum est ex eius oratione, quod de liberando Iosepho fuerit sollicitus.

99. Iose-



99. Iosephus equidem perhibet, Rubenum cum audivisset pu- 29. Quest.
erum esse venditum acquieuisse: quod si verum, momentanea & An Ruben-
hypocrita fuit eius pænitudo, & eo nomine vehementer vitu- conscius sua
peranda, quod nunc quidem vestes dilacerat, & voces hasce erit vendicatio
emittit, ego quo, ego quo ibo, quas nemo non existimatet ingen-
tem animi dolorem præ se ferre, postea vero in fallendo & mi-
serimè excruciendo sene cum fratribus consentit.

100. Verum verba illius Gen. 42. 22. cum cæteris cædem Iose-
phi exprobans ait, nunc requiritur sanguinis eius, fermè illud in-
nuunt, non aliter illum persuasum fuisse, quam Iosephum à fra-
tribus è medio sublatum & imperfectum esse. Sed cum Moses de
haec re nihil annotaverit, nos etiam in medio relinquimus.

101. Perpetrato scelere iam in id incubunt, ut coram patre illud 30. Quest.
celare possint. Proinde tunicam polymitam, qua Iosephum De tunica
spoliaverant, dilaniant, ut Iosephus ait, & hircino sanguine a patri missa
spersam, per internuncios, procul dubio rei gestæ prorsus ignaros,
patri mittunt, neve patri aliquam male de se suspicandi anam
præberent, ideo non affirmant, pallium istud Iosephi esse, sed in-
terrogant solummodo, an non sit: quin Iosephum apud se fuisse
callide dissimulant. vers. 21. 32.

102. Tunicam pater illico agnoscit, & quæ illius erat lenitas
& simplicitas absq; ulla loci, temporis & aliarum circumstanti-
arum inquisitione illico ratiocinatur, Iosephum à bestijs esse di-
sceptum (eamq; ob causam vestimenta sua præ animi ægritudine
disrumpit, & cilicum, moeroris signum, induit, multoq; tempo-
re, annos nimirum xxii. filium luget, neq; ullum consolationi fi-
liorum filiarumq; locum vult relinquere vers. 33. 34. 35.

103. Vbi interrogatur, num luctus tam acerbis tamq; di- 31. Quest.
uturnus fidei sit consentaneus, & an non præcepto Syracidæ de diuturno
cap. 38. 17, Pauli 1. Thess: 4. 11. repugnet? Affirmat Calvinus. & nimio

104. Sed duæ potissimum causæ sunt tanti in animo patriarchæ lucretii Lacte-
moeroris, una quod spem promissi Messiae in hoc filio hærere bi.
procul omni dubio existimaverat: et si proinde ne nunc quidem
de Christi in carnem adventu dubitet, non potest tamen non
acerbisimè dolere ex alio illum, quam Iosephi posteritate, nasci-
turum.

105. Altera causa tanti doloris est, quod puerum ad incognita
C ipse

ipſi loca procul à patria mittendo imprudenter fecisse & causam
miserrimæ ipsius cædi præbuſſe ſibi viſus eſt.

106. Vtraq; verò hæc cauſa ita comparata eſt, ut fidem mini-
mè excludat, ſed germanum potius fidei fructum, altera, vide-
licet Mefſiæ deſiderium, altera, ſeriam pœnitentiam exprimat.
Neq; enim Iacobus leviter peccaverat, ut ſupra indicatum eſt.

107. Et quid mirum, quod filiorum & filiarum consolationes
non admittit, cum illi veros vivificæ consolationis fontes igno-
rent, & non niſi in humano cerebro nata adhibeant ſolatia, ac in-
ſuper fraudulentâ etiam hac in re hypocriſi & simulatione nimis
credulum & φιλόſοφον ſenem ludibrio habeant.

108. Quod filiarum Iacobi fit mentio de nuribus & neptibus
accipiendum eſſe ex eo liquet, quod Iacob vnicam ſaltem habu-
it filiam Dinam Gen. 30. 21.

109. Cum Iacobus ait: descendam ad filium meum lugens, sche-
ola, ad infernum, ibi Scheol de loco damnatorum accipi non
potest, cum patriarcha nec filium datum eſſe crediderit, neq;
etiam ipſe ad inferos ſe præcipitare voluerit.

110. Alij per Scheol ſepulcrum intelligunt, quod non impro-
bandum eſt, cum analogiæ fidei non repugnet Rom. 12. 6. Luc.
9. 50. Licet huic ſententiæ obſtare videatur, quod Iacobus filiū
non ſepultum, ſed à bestia devoratum perſuafſus fuerat.

111. D. Lutheri interpretatione eſt, quod cenſet in ſcriptura vo-
cem Kefer denotare ſepulcrum, quod à nemine in dubium trahi-
tur, appellatione verò Scheol exprimi vel locum, in quo congre-
gantur animæ, qui quidem impijs eſt infernus & tartarus, fideli-
bus paradiseſ ſeu ſinu Abrahæ, Eſai. 57, vel communem ianuam,
portamq; , qua ex hac vita in alteram tranſiſt, quæ nihil aliud
quam mors eſt, iter & via vniuersæ carniſ Iof. 23. 14. 1. Reg. 22.

112. Planissima proinde ſententia eſt, ſi dicamus Iacobum per
Scheol intelligere mortem, & hoc velle, ſe præluctu & animi
mœrore moriturum.

113. Quod alioquin ad vocem Scheol attinet: Significationes
eius alijs tres præcipuas, ad quas reliquæ reducuntur, alijs plures
tradunt. Certum eſt, quod mortem frequenter ſignificet Gen.
37. 35. & 42. 38. & 44. Job. 7. 9. & 17. 13. Psalm. 89. 48. Prov. 27.
vers. 20.

141. Sicut

32. Quest.
quod Iacob
ait, descen-
dam ad fi-
lium meum
lugens in in-
fernū.

33. Quest.
de Scheol.

114. Sicut etiam pro tartaro & catbere damnatorum non raro 2.
usurpat: Num: 16. 30. Es: 5. 14. & 14. 12. Es: 28. 15.
115. Cruciatus porro, quibus damnati in inferno torquentur, 3.
hac voce veniunt Deut: 32. 22. Iob. 42. 10. Psal: 49. 5. Iob. 11.
8. Prov: 15. 11. Psal: 139. 8.
116. Adhæc Scheol sæpenumero de pavoribus conscientiæ, qui- 4.
bus tam pīj quām impīj in hac vita torquentur, adhibetur, Psal:
16. & 18. 6. & 30. 4. 1. Sam: 2. 6. Psal: 86. 13. & 88. 4. & 116. 3.
Ion. 2. 3.
117. Deniq; de sepulcro quoq; accipi vocem scheol volunt Psal:
141. 7.
118. Quantopere Iacobus Iosephum deploraverit indicatum
est: de filijs, quod quicquam fleverint, nulla prorsus fit mentio,
Addit autem Moses, & flevit eum pater eius. 34. Quest.
de patre Iacobi Isaaco,
quod fueris
superstes.
119. Quæ verba etsi de Iosephi patre, Iacobo possunt exponi,
ut repetitio vehementiani doloris amplificet, rectius tamen de
Iacobi patre, Isaaco accipiuntur.
120. Etsi enim is Gen: 35. 29. narratur mortuus fuisse, tamen
iægologyæ in narratione inest, si quidem xii. annos post vendi-
tum Iosephum superstes mansit, quod hoc pacto colligitur.
121. Vixit Isaac annos 180. Gen. 35. 28, & anno ætatis sexage-
simi genuit Iacobum, ex quo efficitur, Iacobū cum Isaaco vixi-
se annos 120.
122. Iam verò Iacob natus annos 120, venit in Ægyptum, vn-
de consequitur, Isaacum decennio antè mortuum esse, quām Iaco-
bus in Ægyptum proficeretur.
123. Porro Ioseph natus annos xxx. evehitur Gen. 41. 46. &
mox succedunt anni septem fertiles & duo steriles Gen. 45. 6, qui
sunt anni novem, ita ut Iosephus, patre in Ægyptum veniente,
habuerit annos 39.
124. Ab his xxxix. annis si detrahantur primò anni septen-
cim, quos Ioseph habebat, cum vendebatur & deinde decem, qui
inter mortem Isaaci & migrationem Iacobi intercesserunt, rema-
nent anni xii, quibus Isaacum post venditum nepotem fuisse su-
perstitem luctusq; participem oportet.
125. Secundò venditur Ioseph iterum à Midianitis in Ægypto,
quod singulari Dei providentia factum est, ne vel sibi eum reti-
nerent vel alibi venderent.

C 2 125. Ven-



35. Quest. 126. Vendiderunt autem viro non obscuro sed nobili Potiphā-
de Potipha-ro, qui nominatur Seris Pharaonis & princeps militum.
127. Appellationem Seris vertit græca interpretatio σπάδοντι,
Spadoni, quæ ex eo refellitur, quod Potiphar vxorem habuit, &
proinde castratus non fuit.
128. Nec multò melior Hieronymi versio, qui eunuchum nun-
cupat. Hoc enim nomen Seris conditionem seu officium, non
qualitatem personæ denotat. Siquidem in populo Dei castrati
ad publica officia non admittebantur Deut. 23. 1. cum tamen Sa-
risim quos Camerarios vocat D. Lutherus, plurimi in aula regum
fuerint 1. Sam. 8. 15. 1. Reg. 22. 9. 2. Reg. 8. 5. & 9. 32. etc.
129. Rectè igitur Onkelus eum Rabba, id est, principem seu
præfectum & magistratum nuncupat. Nam infra cap. 40. 2. duo
præfecti alter pincernarum alter pistorum eodem vocabulo no-
minantur Sarisim.
130. Præter hunc titulum alio quoq; Potiphar insignitur, quod
vocatur Sar hattabbachim, id est princeps seu magister militum,
sive laniorum. Nam סָרְבָּא alias mactatorem seu lanium & co-
quum, alias etiam militem, qui homines iugulat & mactat, signi-
ficat. Sive igitur Potiphar archimagirus, ut LXX. & Hierony-
mus censem, sive militiæ princeps, quem marschallum nunci-
pamus, ut Onkelo placet, fuerit perin-
de est.

FINIS.



AB 52 9
9,9



56.

Wort



Farbkarte #13

B.I.G.



ATIO BIBLICA XXVIL
XVII. Capite Gene.

s, ad privatam συζήτησιν
proposita

a

ONE GESNERO, S. S.
IÆ DOCTORE ET PRO-
re publico, in Academia
VVitebergensi.

De qua

ob. Anno 1599. Deo auxiliante respondebit

ES SAMB STAGIVS
ruthanus Montano-Fr.



VITEBERGAE,
batur Typis Meissnerianis,
D. XCI X.

